SUSPIRIA ET LACRYMÆ FUNEBRALES,

Quibus obitum ex hac miseriarum valle tristissimum

Magnifici, Amplissimi, Clarissimi et Excellentissimi Viri

Dn. MARTINI BOCATII

U. J. Doctoris consultissimi, practici, longo usu, magnâ variâq; experientiâ celeberrimi, Illustrissimorum, potentissimorumq; Principum ac Dominorum, Dni. PHILIPPI II. & Dni. PHILIPPI JULII Ducum Stetinensium Pomeranorum &c. Dicasteriorum inclutorum apud Stetinenses et VVolgastenses Advocati primarii, tùm etiam illustrsimæ Principissæ ac Dnæ. Dn. ANNÆ MARIÆ celsissimi Principis ac Dn. Dn. BARNIMI Ducis Pom. &c. P.M. relictæ Viduæ consiliarii præcellentissimi, ejusdemq; provincialis Judicii, quod Julini est, Præsidis ac Directoris quondam spectatissimi,

Qui 19. Januarii placidè in CHRISTO JESU exspiravit corpus autem 23. Januarij terræ omnium matri Ad D. Mariæ inhumatum est:

LUGENT ET DEFLENT AMICI QUIDAM STUDIOSI.

ANNO à RENATA IN CHRISTO CHRISTIANORUM SALUTE M. DC. XIIII.

STETINI,

TYPIS RHETIANIS.

SUSPIRIUM PRIMUM.

ESt ita: jam non ſunt, quæ quondam ſecla fuerunt
Aurea, nec qualis quondam fuit, oſcine fauſto
Talis in humanis, facies viget aurea, rebus!
Ferrea namq; omnem populantur ſecula mundum,
Et luctum luctus; ceu fluctum fluctus, & undam
Unda fluens; ſequitur cumuloq; ſequetur abunde;
Si modò in hac ſpurca gentis mortalis amurcâ
Amplius infracto conſtabit robore moles
Immundi mundi: ſceleris nam fœda fluenta
Diro, diluvij complêrunt, murmure, terram.
Talis in humanis, facies furit horrida, rebus!
Hinc tumidum, terris miſcet mare, Lucifer orci
Sceptriger: unâ Eurus, gravidis creberq; procellis
Affricus atq; Notus, volvunt ad littora fluctus,
Atq; ruunt totas, ex fundo, funditus urbes:
Talis in humanis facies furit horrida rebus!
Mulciber hinc faculas tectis immittit apertas,
Et reſonâ domus alta cadit, combuſta, ruinâ:
Saxis ſaxa ruunt avulſa, & pulvere denſo
Fumus agit flammas cœli candentis ad aſtra:
Talis in humanis, facies furit horrida, rebus:
Hinc Mars & Martis Germana cruenta flagello
Ingreditur campis, & nubila, vertice, tangit
Pompoſo, tremulumq; minis reboantibus orbem
Territat, & largos profundit ſanguinis imbres:
Qualis; cum fuit alta, decenni, capta, labore

Troja

Troja, caput Phrygiæ, Xanthus, Symöentis & unda
Faucibus infaustis, numerosa è cæde, cruorem
Absorpsere, feris Dolopum furiantibus armis:
Sic iterum tellus scutis quassata virorum
Ingemit, & fuso madefacta cruore rubescit.
Talis in humanis facies furit horrida rebus!
Pallida Thysiphone, neglectos undiq; crines
Anguibus exuberans, mortali è sanguinis ortu
Perversam in terram natos invadit, & atram
Ceu quondam Pandora; luem disseminat, inde
Semina multiplicis succrescunt tabida morbi:
Hinc gangræna febris, varij & tormenta doloris,
Tussis anhela gravedo, apoplexia, pestis, & atri
Sanguinis effluxus, cholera & pleuritis, & asthma,
Et qui sunt reliqui morbi, quos claudere versu
Horreo, queis horret calamus superaddere nomen!
Talis in humanis facies furit horrida rebus!
Ecquæ non sortis sunt fulmina pervia? quæ non
Rebus in humanis mortales fata fatigant?
Quid multis? tellus est putida lerna malorum!
Hic bona non bona sunt verè, licet esse videntur:
Nam mala mixta bonis, semperq; incommoda secum
Adfert commoditas: quondam bona vera Jehova
Ille parens dabit his, qui speq; fideq; triumphum
Demeruêre sibi, qui tot certamina Carnis
Et mundi & Sathanæ & Peccati sæpe secundo
Successu vicêre: bonis bona talia restant!
Ergone quis cuperet numerosæ stamina vitæ
Nectere non Parcas Parcas sibi? quis sibi mortem
Non potius votis prægnantibus optet, ut inde
Ereptus mundi tenebris creperoq; tumultu,

In veram patriam migret? quo labe solutus
Splendeat, ac humiles tandem dediscere terras
Discat: ut optatam pacis fragrantis olivam
Decerpat, Triadosq; sacræ venerabile Numen
Cernat in æternum, Nectarq; ex flumine vivo
Sorbeat, Ambrosiæq; favis saturetur opimis!
Ergo ô felicem te terq; quaterque Bocati,
Juris ocelle sacræ quondam, Themidosq; sacelli
Bartole magne, vigil Stetinensis gloria famæ
Quem gemit, aula Ducis VVolgastidos incluta Juli
Quem gemit, & crebro singultu luget ademtum
Civica turba, tuâ cynosurâ crepta tumultu
Ex vario: ô nimium, nimium te quisque beatum
Dicit, & hoc verè dicit: nam, linquere mundum
Dum satagis, sortis rellinquis in hospita saxa
Atque doloris iter plenum, plenumque laboris,
O te felicem! te non tenet horror & angor
Amplius, atque novi terrent prænuncia luctus.
Namq; iter emensus vitæ, viridantia Tempe
Elysiumque nemus colis incola, læta Iuventus
It comes ætherei campi, spaciandoque claros
Exhilaras oculos, tibi cor dulcedine tantâ
Luxuriat, votoque Deum veneraris, & inter
Heroas superos centum discrimina vocum
Ingeminare juvas choreas simul atque frequentas:
Talis in æthereis facies viget aurea campis!
Hic non Neptunus sævo commota tridenti
Æquora perturbat, Nereus non miscet arenas;
Non Zephyrus, Boreasque tonant, nec murmure dico
Exanimant animas; placido sed murmure sancta
Flaminis ætherei sonat aura, fovetque benigno

Afflatu

Afflatu superos & totum perstrepit hortum!
Talis in æthereis facies viget aurea campis!
Hic non flamma ferox ædes invadit & urbes,
Mœnia nec rapidum recidunt destructa per ignem:
Sed sacer infundit divini luminis ignem
Spiritus, ac igni sacra corda subimplet amoris,
Vt verâ pietate canant Dominumque patremque:
Talis in æthereis facies viget aurea campis!
Hic non sanguineâ, Bellona maligna bipenni
In pugnas & bella viros ciet acta furore
Tergimino, cristis non hic à vertice flamma
Funditur, aut vastos vmbo vomit aureus ignes:
Ferrea Cornipedum non hic quatit ungula campum
Armorumque sonus superûm non territat aulam:
Sed Pax & croceo plaudens Concordia peplo
Cœlestes animas animat, semperque recenti
Turget amore jecor divino. Hinc ordine longo
Pars pedibus plaudit choreas; pars altera bombo
Mellisono ingeminat cantus & jubila jactat:
Talis in æthereis facies viget aurea campis!
Hic non morborum genus intolerabile corpus
Afficit hic phyltri non sunt aconita maligni,
Nec pestis cœli corrupto tabida tractu
Exoritur: sed ibi sunt omnia plena secundâ
Temperie, datur hic mens sana in corpore sano:
Talis in æthereis facies viget aurea campis!
Ergò quid lacrymis tua lumina glauca subortis
Deformas, tanto conjux viduata marito?
Cur nate & natæ lacrymarum funditis undam
Fluminis in morem! necquicquam funditis: ille,
Ille tuus quondam, generosâ mente maritus:

 Ille

Ille parens vester quondam charissimus, ille
Ex morte ad vitam, densa ex caligine carnis
Ad lucem rediit, nunc pro feriore quietem
Sorte, tenet placidam, primæ genetricis in ulnis
Molliter ossa cubant, violis decorata tenellis
Atq; rosis myrtoq; sacrâ, quam juris & æqui
Præses alma Themis summi monumenta doloris
Imposuit, Tineas Blattasq; hinc fuste trisulco,
Arcet, ut æternùm, post fata peracta, supersint
Semper honos & non moriturae gloria famæ:
Spiritus ad Dominum rediit, qui cœlitus illum
Indidit & jussit mortalem habitare cloacam.
Ergo iterum dico, lacrymas abstergite mœstas,
Quos tenet affectus nimius: Nam janua vitæ
Est Mors certa piis, & meta extrema malorum!

Cum luctu & suspiriis apposuit Jacobus Brandenburgius Rubino-Marchicus.

SECUNDUM.

O Dolor ô lacrymæ, quæ nunc tristissima Fata
Eveniunt nobis? heu diræ spicula mortis
Extinxere virum, cui vix ê millibus unus,
Doctrinâ similis, toto reperitur in orbe.
Scire cupis nomen? DOCTVS BOCATIVS ille est,
Quem mors in mediâ vitâ truculenta peremit,
Hic hodiè mandatur humo, dolor heu! dolor eheù!
Ingenio & Genio doctûm mors parcere nescit!
O Nati lugete patrem, lugete clientes
Patronum, vobis qui tempore profuit omni;
Flete, sed haud veluti gentes, queis nulla fides est,
Terra tegit corpus, cœlesti vescitur aurâ

Mens

Mens pia defuncti. Si quis benè militat illi
Est funus fœnus, mors sors & amabile lucrum.

Elias Voigt Stettin. Pomeran.

TERTIUM.

SIccine tellurem linquens, hoi! occidis? eheu!
Bocati Doctor, *longâ dignissime vitâ?*
Siccine Parca ferox, hominum contraria votis,
In medio vitæ rapuit te limine vivæ?
Siccine vernanti pulchrè ac ætate virili
Atropos, heu! vitæ succidit stamina juncta?
Quis tibi non longos optaret Nestoris annos?
Ut Musis decus, atq; Tuis confida columna
Extares: mœstæ flent Musæ funera mœsta:
Mœstus Apollo lyrâ luget, sunt undiq; plangor
Ac angor dolor, heu! eheu! heu plangor & angor!
Ingeminat lacrymas conjux mœstissima mœstas,
Ingeminat, luget, fatur dulcissime conjux:
Quò te tam subitò rapis & me deseris? eheu!
Nunc mihi ubi requies? sine te mihi vita dolorem
Gignit, te sine dulce nihil, tu gaudia nostra
Tecum sumsisti miseræ *jam lumen ademtum.*
Heu mihi! nigra dies, ô ô quam nuncius atrox!
Saucia luctifico feriens mea vulnere corda.
Nigra dies! certè nigris signanda lapillis.
Ah abtristi ...! luctus ô nuncia tanti?
Sic conjux: Musæ mœstissima funera plangunt:
Astrææ Antistes, Charitum flos, ara Themistos,
Juridicæ Jaspis, lumen sapientiæ ocellus
Eheu! discedens oculos & sydera claudit.
Plangite, manibus & meritos persolvite honores,

Plangi-

Plangite : nam cecidit Doctor Bocatius, *ille*
Divorum soboles, Svadæq; Ducumq; voluptas,
Principum amor, juris templum, defensor honesti,
Vsurâ rerum quem munerat ara Themistos
Cui famæ celebris nomen dant enthea secla,
Doctor, qui poterat commissa negotia caussæ
Tricosæ doctâ ratione resolvere & æquo,
Clarus & ingenio qui consilioq; valebat
Eheu! cum gemitu dixit, (jam Munde valeto)
Lethææ mortis degustans pocula amara.
Flet pia Calliope, tenebris abscondita Clio
Ejulat, atq; rigat lacrymis defessa Thalia.

Ast quid? (testatur velut experientia testis)
Est hominum vita inconstans, est lubrica, fluxa.
Sic benè complacuit Domino, *cui summa potestas,*
In cujus manibus sita sunt Mors, vitaque *solùm,*
Qui voluit reprobum te, Doctor, *linquere mundum,*
Ac æternâ pace frui, dulciq; quiete.

Sodes, quid juvat in terris contextere telas
Vitæ prolixas, ubi gaudia nulla supersunt;
Sed modò perfidia impietas, genus omne malorum?
Qua propter fas est tristes inhibere querelas:
In fatis quoniam fuerit non longior hora.
Cunctis introitus mors est ad gaudia cœli,
In Christo fixam qui spemque fidemque locârunt,
Et quis tristetur? morborum mole solutum
Corpus humi recubat, sed spiritus incolit astra:
Non ubi sunt morbi, non ærumnosa senectus
Sed requies & amor, pax ac æterna voluptas,
Perpetuus splendor, patriæ lux aurea vitæ,
Hortulus & paradysiacus, sedesq; piorum
Et locus optandus, precium in quo nobile mentes

Accipient

Accipient magnæ, quò flores aura beata
Elysios mulcet, quò tinnula tympana clangunt,
Quò cytharæ resonant, quò vernant tempora n ille:
Ad quæ nos omnes ducat Salvator IESVS.

Condolentiæ testificandæ gratiâ lugens
lubensque affixit
MICHAEL GRVNEBANDVS
Prentzloâ-Marchita.

QUARTUM.

DIcite fatorum tria præscia numina Parcæ,
Queîs novisse datum, dicite fata, precor,
Dicite quid causæ, quæso, sit, quidve per illud
Intendat, cœli qui regit astra, Deus?
Namque socrus paucis elapsis ante diebus,
Vivere digna diu morte perempta fuit.
Ecce gener sequitur fato præventus iniquo,
Non ætate gravis vir cadit ante diem.
Hoc scio, nec fallax animum mihi decipit omen,
Consilio id fieri persapiente DEI.
Horrida mors latum terræ penetravit & orbem
Ob crimen, quod nos efficit esse reos.
Confestim hinc homines mors jus accepit in omnes,
Nec sua scit miseris parcere sæva manus.
Illam non animi mores, non pectoris artes
Flectunt, non illam splendida facta movent.
Divitias temnens modò septra ligonibus æquat,
Sit licet in summo fama locata gradu.
Ergò non opus est nimium ut doleatis amici,
Quos sibi defuncti conciliavit amor,

Fundatisque oculis largos stillantibus imbres,
Cunctis namq; via est illa terenda semel.
Sistat quisque modum lachrymis, nec defleat illum,
Ægrâ quem vitâ hac avocat ipse DEVS.
Nam quicunque piè moritur, mox incola cœli
Fit, meritisque suis præmia justa refert.
Sunt equidem luctus causæ multæque gravesque;
Sed vos Christicolas non ita flere decet,
Vt gens ætherei cœtu seclusa parentis;
Nam vos sacra jubent verba tenere modum.
Vos pater omnipotens mœstas soletur amicos,
Rellictos natos respiciatque bonus.
Defunctique animam jungens cum corpore, letho
Ereptum jubeat templa subire poli.

Condolentiæ ergò apponere voluit
Joachimus Crugerus Stettin. Pom.

QUINTUM.

Lampas diem Phœbêia ceu docet
Fundens ab aulâ perpetuæ comam
Vitæ: Piis sic sors acerba
Dicit adesse Deum benignum.
Auræ secundæ nam Zephyri citi,
Duri mali vis, vita cadens, simul
Et mortis ætræ Tela tetra,
A patre proveniunt JEHOVA.
Et sorte quem durâ premit Arbiter
Mundi, suis cœlestibus implet hunc
Flammis, & hic cujus flagellis

Terga

Terga ſecat, quater eſt beatus.
Ex valle durâ lativagi rapit
Hunc orbis, & ſummi vehit ad poli
Culmen, ne permutet, maligna
Ejus & improba turba captum.
Quare quietis ducito tempora
Conjux relicta, & tollite vos citò
Natæ gementes heu querelas
Triſtitiasq; fugato nate.
Non mortui ſors deterior fero
Eſt facta letho, longè ſed aptior:
Hîc inter hirſutas & acres
Sic erat aſsiduè ille ſpinas:
Illîc modo inter mollîculas roſas
Exſultat, ergo quid ſibi quæſo iam
Gravis vel edax angor iste,
Quid lacrymæ madidæ vel udæ?

Petrus Grônenbergius Dam. Pom.

V L T I M V M.

QVid? vana ſunt reſiſtere
Morti rapaci, diſſecat
Quæ falce curvatâ genus
Mortale ſine diſcrimine.
Pultat tabernas divitum,
Pultat tabernas pauperum:
Omnes ſuis Mors horrida
Necat ſagittis horridis.
Eheu, velut BOCATIVS
Doctor Themiſtos nobilis
Teſtatur exemplo ſuo.
Luge Vidua mœſtiſsima,
Lugete Natæ, Nateq; ;
Servate ſed luctus modnm:
Nam, qui hoc in orbe ſordido
Vixit benè & obivit benè
Nequaquam obi[illegible], cœlica
Vt intret, exit, gaudia.

Johannes Fridericus Rambovius Stetin. Pom.

